



SACROSANCTA  
CONCILIA  
OECUMENICA

Prolegomenis, & Commentariis  
illustrata

AD SANCTISSIMUM PATREM  
CLEMENTEM XII.  
PONTIFICEM MAXIMUM  
TOMUS I

*Quatuor priores Synodos Oecumenicas  
comprehendens*

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO  
CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS.



ROMÆ, MDCCXXXVI.

Typis Antonii de Rubcis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.



(III)  
B E A T I S S I M E  
P A T E R.



*Uamquam*, BEATISSIME PATER, *al-*  
*ter e meis Libris, qui inscribitur,*  
De Codice Sancti Euangelii, atque servatis in  
ejus lectione, & usu vario Ritibus, *immortali*



# PROLEGOMENA IN CONCILIA.

*Concilii nomen, etymon & definitio.*

## CAP. I.



**C**ONCILIA in Ecclesia idem esse, quam comitia in Regno, recte asserit Cardinalis Bellarminus Lib. 1. *De Conciliis* C. 111. Quemadmodum enim Regi comitia non aliud sunt, quam conventus Principum, Procerum, Magistratum in unum locum, ut de rebus agant, quæ ad Rempublicam pertinent; ita Concilia sunt Congregatio Præsulum Christianorum, ut simul collatis sententiis statuunt quid opus sit pro Ecclesie honore. Ita quidem observatum videmus in Actibus Apostolorum Cap. xv. ubi primum ceperunt Concilia Christiana celebrari. Porro Concilii nomen a more Romano in Ecclesiam derivasse testatur S. Isidorus Lib. vi. *Originum* Cap. xvi. ubi enim Judices in unum conveniebant, ut causas communi intentione pertractarent, hoc Concilium appellabatur; cujus vox antiquissima est in Ecclesia Latina, occurritque apud Tertullianum, Sanctum Cyprianum, aliosque Scriptores vetustissimos; imo tum in veteri, tum in novo Testamento pro Judæorum Congregationibus invenitur.

Quod autem ait idem Isidorus laudato libro vi. *Originum* cap. xvi., Concilia dici a ciliis, sensus est, quod sicut cilia conjunguntur, & coeunt simul, ita homines in Conciliis congregantur, atque conveniunt. Nam, ut ait Donatus in *Fuuechum* act. 4. scena 4., omnis conventio conciliatio nominatur, sit Enchiridion lib. vi. Servius inquit, a conveniendo Concilium appellari. Festus, & Cicero *De finibus*, Concilium dictum putant, quasi *concoctio* a concoctando, hoc est convocando, quod omnes in unum convocentur.

*De Conciliorum divisione.*

## CAP. II.

1. **C**oncilium vel est œcumenicum, vel Nationale, vel Provinciale, vel Diocesanicum. Primum sic dicitur, quasi ex toto Orbe collectum, seu ex Orientali, & Occidentali Ecclesia, ut in eo sit totius Christiani nominis representatio, ut ait Tertullianus Lib. *De jejuniis adversus Psephicos* C. xiii. Ejus convocatio pertinet ad Romanum Pontificem, ut infra demonstrabitur. Nationale Concilium appellatur quod constat Episcopis multarum Provinciarum ejusdem Regni, vel Nationis, ut Hispanicum, Africanum &c. vocaturque nonnumquam major Synodus, ut in Can. xxi. Concilii Antiocheni, & plenaria, ac universalis, in Codice Canonum Ecclesie Africane, & apud S. Augustinum, & Tertullianum loco citato; aliquando etiam Diocesanicum, quod Diocesis tum in Civili, tum in Ecclesiastica politia plurium provinciarum tractum significaret, ut patet ex Can. v. Concilii Constantinopolitani I. super quo videri etiam possunt Balsamon, Zouaras, alique Expositores. Nationale Concilium convocat Primas Nationis ex Can. xvii. Synodi generalis VIII, ibique adesse tenentur omnes Episcopi earum Provinciarum, que huic Primati, vel Patriarchæ subiacent; unde apud

A

S. Leo

II. Authores Græci quod nos Concilium vocamus, dicunt Synodum; cujusmodi vocem in Sacris Scripturis minime reperiri docet laudatus Bellarminus; additque ejus mentionem haberi primam in Canonibus quos vocant Apostolorum, Can. xxxviii. ubi jubentur Episcopi singulis annis bis Concilia celebrare; tum apud Eusebium Lib. v. *Historia Ecclesiastica* C. xxi. ac deinceps in omnibus Auctoribus. Synodus a Latinis dici etiam consuevit veteris, & conventus, patet ex ipsis Conciliis, prisicisque Ecclesie Scripturis, apud quos ille voces passim occurrunt; eumque in modum explicavit etiam Synodum memoratus Isidorus.

To. I.